

VII. C. CORNELII TACITI

EX LIBRO PRIMO ANNALIUM. *

ARGUMENTUM: Rei Romanae status ante Augustum. Ejus artes et via ad imperium. Varii ab Augusto destinati successores. Status rerum et affectus civium sub Augusto. Judicia de successoribus. Morbus Augusti et mors celata. Accitus ad successionem Tiberius.

Cap. I. Urbem Romam a principio reges habuere. Libertatem et Consulatum L. Brutus instituit. Dictaturae ad tempus sumebantur: neque Decemviralis potestas ultra biennium, neque Tribunorum militum consulare jus diu valuit. Non Cinnae, non Sullae longa dominatio: et Pompeji Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere: qui cuncta, discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit. Sed veteris populi Rom. prospera, vel adversa, claris scriptoribus memorata sunt: temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec, gliscente adulatione, deterrerentur. Tiberii, Cajique, et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae; postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. Inde consilium mihi, pauca de Augusto, et extrema tradere: mox Tiberii principatum, et cetera, sine ira et studio; quorum causas procul habeo.

II. Postquam, Bruto et Cassio caesis, nulla jam publica arma: Pompejus apud Siciliam oppressus; exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Julianis quidem partibus, nisi Caesar, dux reliquus. Posito Triumviri nomine, Consulem se ferens, et ad tuendam plebem Tribunicio jure contentum:

* Edit. Jacobi Stabel, Herbilipoli et Fuldæ, 1777 an.